
CROCOLOGIA.

—

J. F. HERTODT.

1671









WELLCOME
HISTORICAL MEDICAL LIBRARY



OPUS MIRIFICUM SEXTÆ DIEI,
id est
HOMO
Physicè, Anatomicè, & Moraliter in potiores suas partes dissectus

à

JOAN. FERDINANDO HERTOD à T. Ph. & Med. D. Sacr. Rom. Imp. Academ. Nat. Curios. Orpheo, & Reg. Civitat. BRUNENSIS Physico.



JENÆ,
Sumtibus VITI JACOBI TRESCHERI, Bibliopol. Wratislav.

Typis JOHANNIS NISII, M. DC. LXXI.



Reverendissimo & Celsissimo Principi, ac Domino,

DOMINO

CAROLO,

Episcopo Olomucensi, Duci, S. R. I. Principi, Regiæ Capellæ Bohemiæ, & de Liechtenstein Comiti &c. &c.

Domino meo clementissimo.

QUies illa post sextam nascentis Mundi diem, qua DEUM Ter Max. *ab omni opere, quod patrârat, cessasse*, gestorum Divinorum Historiographus memorat, jucundum simul, ac necessarium in opere sextæ diei Homini proponit desudandi laborem: quem, qui subit intrepidus, eundem jam absolvit ab omni conatûs etiam audacioris censura hortator DEUS, dũ idcircò *tradidit Mundum disputationi nostræ, Mundum* inquam *Parvum*, Hominem. Exantlavi, quoad viribus & facultate licuit sextæ diei hujus

aborem adeò, ut fesso, nisi quies iterata, supersit nihil. Et verò hanc ad Sacratissimas Aras Tuas, Reverendissime & Celsissime Princeps, quibus Opusculum istud consecratum venio, me reperturum sperarem, nisi in ipsis aræ gradibus casuram victimam vererer, ipsius sextæ diei nomine territus, quod perculsis omnibus etiam Reverendissimam Celsitudinem Tuam percellere posset, ut quæ à Medicis antiquissimis angui, à Galeno tyranno comparatur.

Taceo senarium hunc diem in sacris paginis nescio quid involver

volvere horroris, laboris, & ſervitutis: præcipiente DEO ſex diebus faciendum opus, ſex diebus colligendum mannã, ſex annis ſeminandam terram, ſex item annis ſervos Hebræos Dominis ſuis famulari.

Non commemoro, ſenarium numerum afflictionũ humanarum eſſe indicem, quippe: Id quod homo patitur,

aut eſt {
Labor:
Dolor:
Timor:
Caſus:
Infirmitas:
Mors.
}

De quo ſenario patientisſimus ille, in quem pœnarum omnium congeries confluxit; Job: *in ſex tribulationibus*, inquit, *liberabit te, & in ſeptima non tanget te malum.* An hæc ergo Leoninam Reverendisſimæ Celſitudinis Tuæ Fortitudinem expugnent? minimè: levia ſunt illa, hæc inexpugnabilis. Propter quod arbitreris Te quotidiè in ſpeculo congenitæ Tibi Lucis, ut, quominus humani alienum à Te deprehenderis, penitius noſcas Te ipſum. Sed quid hæc memoro? vertant ſtylum Numerantes Arithmetici, qui ſena-

riun:

rium ajunt numerum perfe-ctionis, & inter omnes pefectos esse principem.

Adeò ut jam videam, cur perfectissimus numerorum Comprehensor DEUS, omnia constituturus in numero, pondere, & mensura, sextâ die condiderit Hominem, scilicet, ut eum super omnia opera sua, *quæ erant valde bona*, & perfecta Universalem post se Dominum ac Principem relinqueret. Cui perfectioni ne quidquam desit, senarius humanus numerus partibus se metientibus exactissimè commensuratur; Unitati

in composito: Dualitati in Anima & Corpore: Trinitati in tribus animæ potentiis, Intellectu, Voluntate, Memoria, è quibus perfectissimus Homo coalescit. O! numerum & mirum & beatum, qui licet sex præfatas involvat pœnas, immunitatem tamen evolvit à septima, testibus justis, *quos non tetigit tormentum* æternæ *mortis*.

Beatiorem dicam ego hunc numerum, imò diem, si eum Reverendissima Celsitudo Tua inter calculos clientum suorum facili numeratione retulerit, diemque hunc ex nefastis beni-

benignè expunxerit. Perfecto ab Imperfecto ingenio operi, imò mihi à labore soluto gratulabor, si in Portu quietem, ab Episcopali Gubernaculo securitatem invenero.

Explora Aquilinis Prosapiæ Unguibus ad scientiæ radios novellum hunc partum meum & si degenerem offenderis, excute felici impulsu ad Lucis Tuæ Sicilem, quo velut ignitabulo excitetur in Te flamma Amoris & benevolentiæ; in me verò rogus ad debitum hoc obsequii pignus Honori Tuo concremandum, meque totum u-

na cum affectibus & studiis omnibus Reverendissimæ Celsitudini Tuæ, cui jam dudum ex *nomine morior* æternum victimandum.

Reverendissimæ Celsitud. Tuæ

cliens devotissimus

JOANNES FERDINANDUS HERTOD. à T. Ph. & Med. D.

CERE-



I.

CEREBRUM.

Regia Solis.

Suſpice
Inclyta *Mundi Intellectualis* Reſpublica!
procedit *Rex* tuus
Tamquam Sponſus de thalamo ſuo.
Cautè tamen accede,
Ne dum *Totum* videre deſideres, videas nihil;
Radioſus eſt totus:
Securius ages,
Contemplatura Regiam per partes,
Et ſingulos adminiſtros,
Quoad propius adorare liceat
Regis Majeſtatem.
Aula Cœlum eſt triplex;

Terre-

Terreum, Cranium:
Aëreum asperum, Dura:
Empyreum, Pia Mater.
Intelligentiarum illi, *Intellectionum* isti
Domicilium:
Conservantur illi à suis, hi suos
conservant incolas.
Fœcundæ Matres!
Tot partuum Divinorum Geni-
trices,
Quot in his cœlis circumvolant *cogi-
tationum* stellæ.
Sed quomodo Genitrices?
Si prolem quam *capitis*, non *concipitis*?
Quam *complectimini*, non amatis?
Dura Mater pias affectiones nescit:
Pia, dum ostendit, simulat;
Quæ post amorem alternis ferit Sym-
ptomatibus,
Neque ita gementem miserata na-
tum fugit:

Sed

Sed intrà pericranii muros, oculo-
rumq; tunicas
ſubdolas latebras
abſconditur.
Identidem tamen *Pietatis* repetit
veſtigia,
Nutrimenta ſpiritibus animalibus li-
beraliter ſuppeditans:
Gemellos alibi Natura *uni* largitur
Matri,
Hîc *geminis* Matribus *unam*
prolem.
Mirificus ergò partus!
Extra nutricias jam Matrum curas
conſtitutus
ruit generoſus in arma:
Sed à quibus Mars cruentus exulet.
Quatuor ſinus,
Quaternas obeunt pro ſalute Regis
Vigilias,
Armamentarium dixeris:

In horum tres *Maris Rubri*, hoc est sanguinis piratæ dum se insinuant,
Post longam luctam
Portum intrant *Falcatum Sinum Tertium*,
Qui
Fidissimus intimi Cubiculi Custos,
Nauta peritus,
Pocillator syncerus,
Avertit sanguinis æstuantis procellas,
Toxicum ab antidoto segregat.
Quod unquam Palladium!
Tot habuit Excubitores Trojanos?
Quis Salomon tot pendulos è turri Clypeos?
Sed jam
Pulsatis modestè à custode foribus,
Regium conspicitur solium
Currui Phaëtontis invidiosum,
Sine tamen Microcosmi incendio.
Qua-

Quadrigam habet,
Appetitum, Imaginationem, Ingenium, &
Memoriam.
Quorum postremus Nomenclator expeditus,
Gestorum, gerendorumq;
seriem
maturè suggerit.
Hinc
Rex ipse,
Agenda solerter trutinat,
Cautè circumspicit,
Celeriter consulit,
Maturè judicat,
Prudentèr decernit.
Proh quam activi solis hujus radii!
Phœbeis illis hodierni Astronomi
ad fixos Cœlorum orbes excurrere
non concedunt.

His in mundum non tantum ſuum,
Sed extrà ſphæram abire licet,
Se ipſis Majoribus.
Nihil hic futurum, aut præteritum;
Nihil diſtans, abſens nihil,
Quia *Rex hic intelligendo fit omnia.*
Verbo
Sphæra eſt,
Cujus centrum ubique, circumferentia nusquam,
Niſi in DEO.
Undè
quidquid extrà ipſum eſt,
in ipſo eſt.
Teſtatur Natura:
Quæ alterum adhuc in Cerebro finxit
Hominem,
ut credas,
Non rationalium ſolùm,
Sed & realium entium eſſe receptaculum.

Con

Contractum maximum
Exiguâ Capitis mole contentum
Sui comprehensorem comprehendit,
quia nihil non comprehendit
Similitudo DEI,
Trinitatis Effigies,
Divini Spiritûs aura,
In quo solo
Cessavit DEVS ab Vniverso opere
Quod patrârat.

II.

OCULI.

Mundus Amoris.

Πᾶν ἐκ Πάντων.

Dixit; an erravit vetus Philosophia? ta nimirùm in hoc Universo singula sua sunt,

Ut nihil minus verum esse videatur,
Quam quod *Omnia* in *Omnibus*
Et *Omnia* sint in *Vno*.
Ubi enim hoc Naturæ, sivè Monstrum, sivè
Miraculum repereris?
Elementa dissident, Viventia rixantur;
Generatio Unius est *Corruptio* alterius;
Mors mea *Vita* tua;
Demum
Omnes quæ sua sunt quærunt.
Desperandum esset de aliquo *Regno*
Amoris,
Nisi haberemus in promptu *Parvi Mundi*
Magnum Mundum,
Oculos dico.
Amoris, an *Miraculorum*
binos Loculos;

Vbi verè & omnia in omnibus, & in Vno Omnia.

Nam quæ eſt iſta pars hominis homine major?

Quæ particula Mundi æqualis Mundo?

Imò millenorum una capax,

Ut exindè cauſam *flendi* cum *Alexandro* habere nequeat.

Et bene!

Nam *Mundus Amoris* eſt Oculus.

Amor vincit omnia; & trahit in ſe omnia;

Et hic *Mundus* ipſum in ſe *Amorem* complectitur.

Erraſti Alexander, erraſti.

Mundus unus duos ſoles jam patitur:

Sed *Mundus Amoris*.

Ubi & *duo Vnum* ſunt, & *Vnum Omnia*.

Bina hinc egrediuntur, bina exeunt,

Hæç tamen bina ſunt ſingula.

Et quid illud?
Ingreditur *Oculum terra*, nec obruit:
Infunditur *aqua*, nec diluit:
Inſerit ſe *ignis*, nec exurit:
Immiſcet ſe *aër*, nec agitat:
Inſinuat ſe *Cœlum*, neque implet
quem Cœli non capiunt.
O! jucunda ſedes *Amoris!*
Eccè,
Quomodo hic neque calida frigidis,
Nec frigida calidis bellum movent.
Hîc convenit, quidquid uſpiam repu-
gnat.
Et ô! eruditum contradictionum
chaos!
Ubi *Omnia* ſunt *Vnum*.
Oculus eſt ignis, & non eſt,
Eſt *Omnia*, & non eſt;
Pugnant hic Omnia mutuo, & non
pugnant.

O! *Amor*

qui facis *Vtraque Vnum.*

Quam Victores!

Quando vicisti Naturam, vicisti Philosophiam.

O! *Imperiose Amor!*

Quænam hæc Virtus est Oculi?

Aperit se Oculus, & Mundum recipit:

Claudit se, & Mundum excludit:

Quibus armis? quâ potentiâ?

O! *Volucris Amor!*

Momentum est, quo Cœlum, quo sidera, quo

Universum pervolas.

O! *Magnes Amor!*

Adhuc nescio, an ad Solem Oculus evolet videndo:

An Sol ad Oculum?

Certè nisi Sol esset in Oculo, & hic in illo,

Non esset *Mundus Amoris* Oculus.

Dicite *Cœlorum Anatomici*
Quod ejus Centrum? quot orbes?
An undecim, octo, an Unus tantum?
Hæretis, erratis!
Dicam.
Felicior eſt anatomia Oculi, & facilior,
Et ex hac viſibili ad illam imperceptibilem
Si placet, arguendo conſcendite.
Centrum Oculi, Sol eſt,
Sed mobile.
Pupilla, inquam, *Amoris*, atque Majeſtatis thronus;
Sed ô! *quam benè* hic *conveniunt*,
Atque in *una ſede morantur*,
Idem *Clementiæ*, & *Severitatis* tribunal
Diſcordium amicarum,
feneſtra animæ, *index*, *porta*, vita & *Omnia.*
Ubi ordinatisſima ſpecierum confuſio,

Et *Mundus* earum *Chaoticus.*

Hinc

Nigra eſt, ut eas occultet; *Illuſtris*, ut aperiat,

Arcana, ut myſterium quo plena eſt, celet:

Haut futura Miraculum, ſi non eſſet arcana.

Imò *arcana*,

Quaſi *arca*, ſed *cryſtallina*,

Quæ humore cryſtallino conſtat quaſi *Cælo cryſtallino.*

Scilicet!

Vel hodiè diſcetis Aſtronomi

Sitne Cœlum corporeum ſolidum, an liquidum?

Poſtquam Cœlum primum Oculi eſt & ſolidum,

Quia cryſtallus.

Et liquidum, quia humor.

Et gelu eſt, & non concreſcit.

Et aqua est, & non diffluit.
Et gemma est, & non riget.
Et lux est, & nigrescit.
In *Omnibus Vnum.*
Crystallum Vitreus humor complectitur,
Dignum tali-patellâ operculum!
Vel si mavis, dicito:
Crystallinus Vitreo humori ut *annulo*
pro *gemma* est;
Hoc sibi despondet *Amor Omnia*
in *Regno suo.*
Negate jam *Adamantem* in *Crystallo* na-
sci qui hæc scrutamini.
Sanè hic vitreum gelu crystallum,
Et hæc lucidissimam pupillam, quasi
Adamantem;
Quia *amantem Amoris* facem
parturit, & nutrit.
Sed ô! *Lucina*, fave tam pulchro partui.
Eccè enim cùm prole Matrem ex-
cipit aliud
retiforme Cœlum! Utri-

Utrique ſtruit amabiles inſidias;
Et dum utrumq; capit, decipit
amandiſſimâ fraude.
Ab hoc enim ambæ ſtringuntur; ne
diffluant,
Arte analogâ, quâ DEUS
Extendit Cælum ſuum ſicut pellem.
Et jam in quarto Cœlo ſumus, quod
efficit
Tunica Uvæ ſimilis.
Anne hi ſunt fructus *Terræ*? ſed illa
in quarto Cœlo eſſe non per-
mittitur.
Illa tamen *Terram* & nigredine,
& concavitate refert.
Et quia vitreo humori ſuperſtat,
Intelliges factum Divinum,
Quo *DEUS firmavit terram ſuper aqvas*
Niſi quod mollis ſit; ne dum pre-
mit, lædat;
Et tenuis; ut quod obſcurat,
detegat.

Sequuntur *aquæ ſupercæleſtes,*
Humor aqueus.
Nam & hic opus eſt,
Vt Vnda flammas temperet, terræ ſolum ne
diſſipent:
Et ut ſolidior ſit conſiſtentia,
Placuit Naturæ *Corneam Tunicam* ſuper-
induere:
Ne mireris, ſi verum eſt;
Cœlos, etſi fluidi ſint in concavo;
In convexo tamen rigeſcere.
Tribus Univerſa hæc mundi corpore
machina digitis appenditur;
Sed *Mundo Amoris*
duo nervi ſufficiunt;
Quia *Societas duorum, Deorum eſt.*
Hi decuſſatim Oculos ad Cerebrun
adnectunt,
Ut non neges Regnum Oculorum
Cerebro,
& Mente pollere.

Haber

Habent insuper suas illi *Intelligentias*,
Ex his septem assignavit Philosophus
Universo,
At erravit licet;
Oculus septem musculis
velut totidem Intelligentiis
quaqua versus movetur.
Nec miraris: quid cum *Septimo Numero*
habet *Amor*!
Sanè novimus *septem* esse *dona*
spiritûs Divini;
Et *septies*, imò & *septuagesies septies*
ignosci jubet *Amor*.
Et Oculi septem orbibus constant;
In hoc dolendi;
Quod incorruptibiles non sint;
Vltimi enim, teste Plinio, vivunt, &
primi moriuntur.
Et verè corporeum cœlum, si viveret,
etiam moreretur.
Mortales igitur sunt Oculi;
Sed

Sed animantur, & vivunt:
Quia solorum animantium est
in omnem partem procedere.
Quare,
Non est hoc Universum, ex Platone,
Magnum animal;
Benè tamen *Oculus* est *Parvi Mundi*
Parvum Animal.
Tantò mirabilius;
Quantò in *Uno Parvo* sunt *Omnia*
Mundo Amoris.

III.

AURES.

Mundus Pythagoricus.

Silentium!
Appresso ad labia digito
Senex indicit Pythagoras.
Vacate auribus muti Discipuli!
Pigeat obrui pulcherrimum organum
ingratis terræ stridoribus; Ec-

Eccè, eccè enim.
An auditis? ſvaviſſimam Cœlorum
concertantium harmoniam,
Et concordem mirâ diſcordiâ Mu-
ſicen?
Illi verò arrectis auribus cum nihil au-
diant,
ſomniare Magiſtrum crederent.
At non ſic ego;
Qui umbraticum illius ingenium
novi.
Alterius ſine dubio Cœli hilarem con-
centum
Sub hoc ſchemate propoſuerit,
ut merito indigitem
aures Iſtum eſſe *Mundum Pythagoricum*,
Labyrinthum miraculorum,
Muſarum antrum,
&
Novos Cœlos Muſicos,
Specum *Vulcaniam*
&
Lepo-

Leporis, atque *Charitum officinam*.
Et ô! quam benè
Natura Mundum Amoris Oculum
appoſuit
Mundo deliciarum, & lætitiæ.
Nam non eſt verus Amor, ubi *amaror*.
Et ſi Oculus eſt quædam rerum *pictura*
Eſt auris earundem *Muſica*;
Quia Pictura eſt ſilens Muſica,
Et hæc loquens Pictura.
Facilè mirandam Oculum inter, &
Aures
convenientiam deprehendes,
&
combinabis excellentiam.
Ibi Amatur, hic Gaudetur,
Ibi inchoatio, hic beatitudinis
conſummatio.
Iſthinc Amor ad ſe trahit Omnia, ſed
Aures etiam Saxa.
Quod pupilla Oculo; his foramen o-
vale præſtat;
Ubi

Ubi tunica aranea captivat curiosissimam pupillam;
In Auribus pubes Vulcania
dexterrimâ vicissitudine
vincula fabricat
ovali foramini.
Cerne enim & stapedem, & malleolum, & incudem.
Et ne Musica organa desideres,
Quod Oculis est tunica cornea; hoc
Auribus Tympanum.
Agitatur humoris aquei & vitrei loco
Anima Musicæ, aër:
Tabula, in qua pinguntur visivæ species
est humor Crystallinus;
Tabula verè rasa:
Ast in qua notæ vocales exprimuntur
jucundo inter se errore perplexæ
sunt labyrinthæi aurium Mæandri.

Hic

Hic quidquid in cochleam, nervosq́
auditorios inciderit,
crederes in Minotaurum incidisse.
Adeò irrecuperabile est, quidquid
sonorum eo usq; perrepserit.
Cave tibi hic *Admirator Curiose*,
Ne & tu hæc audiendo absorbearis.
Illud saltem refer ex omnibus,
Etsi in Uno Parvo Mundo
plures reperiantur alii
Cor scilicet, Oculus, & Auris.
In hoc tamen cæteris præeminere
hunc
Orbem Pythagoricum,
Quod misceat *utile dulci*;
Motum Concentui;
Ut concludere necessum habeam:
Aures esse Cælum beatorum,
reliquos Viatorum.

IV. NA-

IV.

NASUS.

Capitolium.

Incaſſum triumphos adornatis
Jactabunda Microcoſmi Membra,
Nondum viciſtis!
Apello
Ad Sacroſanctum Themidis Sacrarium,
Aſtreæ Tribunal,
Æquitatis arcem,
Diſcretionis juſtiſſimæ immobilem ſtateram,
Invictiſſimam *Libani Turrim*,
Naſum, inquam
Juris dicundi in Microcoſmo *Capitolium*.
Ipſe ſuæ cauſæ Judex erit & Advocatus,

 Nihil

Nihil illo justius, nihil candidius.
In odorando sagax,
In judicando osseus,
In exequendo nervosus;
Ab innumeris arteriis, & venis,
minimè austerus, neq; tamen
venalis.
Suas ille sententias
Ex *processibus mammillaribus* format;
Hi *duri* sunt, ubi cranium egressi
A *dura Matre* tunicas velut armaturam
mutuant,
Ut habeas Judicem in vindictam
paratum.
Molles sunt, ubi intrà cranium
non mortui, sed sensui con-
ducunt.
Nempe ita sensatum Rhadamantum
experiri licet.
Duri, atque *fortes* sunt in confiniis;
Ut insultibus non cedant
occur-

occurrentium particularum.
Iidem humidi:
Neque enim ſolum ignem ſpirare *Nares* debent,
Aqua igni, clementia iræ contemperanda eſt.
Lati ſunt, atque *diſperſi*;
Quibus vagos in unum odores colligant;
Neque enim ſine amica diſcretione diu ſtabit aliqua Reſpublica.
Et quia ubivis mali bonis permixti ſunt:
Etiam hîc inter excrementitios humores
odores tamen non obruuntur.
Deniq; Judex pronunciat
ibi triumphum & gloriam deberi, utpote
qui Capitolii immobile ſaxū accolat,
id eſt *Capitis olidum* tribunal.

V.

LINGUA.

Mare Microcoſmi.

Sta Curioſe, & obſtupeſce!
In hac oris abyſſo
Clauditur Monſtrum informe, indomitum, ingens.
Neque timueris tamen:
Habet enim *Vectem & oſtia*,
Præceptum ſempiternum,
Quousque veniat, & confringat fluctus ſuos tumentes.
Optimum ſimul ac peſſimum:
Non tot inſanum Mare, non gladius non feræ,
Quot unica *linguæ Vorago* deglutiit.
Adeò *Mors & vita in manibus ejus.*
Sanat eadem; quia Medicinalis:
Occidit; quia *gladius acutus*:
Ejus acumen vel exindè cognoſces,
Quod

Quod adamantina lorica ſit ei pro ce-
ra.
Nemo tutus ab ea, ſi ſæviat.
Mollis eſt, & *dura*:
Si patitur frænum, nihil ipsâ tractabi-
lius:
Si reſpuit, nihil contumacius.
Humida eſt & *ſicca*:
Ejus humor eruditus quanta det ſtu-
diis incrementa,
Nemo eſt, qui explicet.
Ceſſet linguæ officium, & ceſſabunt
ſcientiæ.
Eadem ſi diffluit, odioſa:
Si moderato ſilentio areſcit, gratioſa.
Candida eſt & *Rubicunda*:
mirare
Cur innumeros una colores non præ-
ferat
cum Chamæleonte,

Per quam ciborum tot atque liquidorum
transſeunt tincturæ.
Et cum ſit tota effrons, & impudens
Rubet tamen aſſiduè
præ *Verecundia*:
Ut ideò *Mare Rubrum* eſſe non negaveris,
Poſtquam non Unus Pharao cum exercitu
hoc barathro hauſtus eſt.
Et cum Mari ſimilis ſit,
Attamen eadem *rete* craſſius æmulatur,
Ut ſit eadem quæ capiat & capiatur,
Præda ſimul & piſcator,
Nunquam ſatis conſtans.
Æqualis ſimul & *inæqualis*,
Teres & quadrata,
Tota mobilis;
Dum nervorum, quaſi ventorum paribus duobus usque-

usquequaque jactatur.
Nunquam in hoc *Mari malacia est*,
Quia nunquam non aliquid *Mali*.
Etsi taceat, non otiatur tamen:
Nam affluente aquâ salivali ut Molitor
Cibum intrà dentes subigit.
Nisi malis vocare piam Nutricem,
Qui præmasticatam escam in os stomachi ingerit.
Saltem Coquus est,
Qui in lebetem Ventriculi coquendà minutè dispertit.
Est ea acutorum morborum signum,
Quæ etiam silendo
refert arcana cordis.
Nec juverit
Duplici eam vallo, & in fornice concamerato cohibuisse,
Ut in secreto sit.
Tunc enim, ne ferietur, *dolos concinnat*.

Denique mille noxarum rea cum ſit,
nemo eam accuſare poſſit
niſi ipſa.
Sed nec laudare, nec abſolvere:
Sibi ipſi, & à ſe laudabilis,
Omnium tamen muto calculo
Lingua ut maligna lapidatur.

VI.

COR.

Primum Mobile.

Somnianti Tullio
Si verum ingemuit Africanus,
pro puncto Univerſi Terræ,
ferro & igni fruſtrà decertari;
Errat in *Corde*,
In quo
pro primis ſedibus
celeberrimæ quatuor facultates
amoris igne & mentis acie
ſtrenuè depugnant. *Pri-*

Primum Mobile expendit Aſtronomus,
Quantitatem metitur Geometra,
Vitam in igne miratur Philoſophus,
Subjectum Gratiæ ſuſpicit Theologus.
Dignum certamen!
Sed cur *Primum mobile* in Medio
rimaris Aſtronome?
An hic eſſe Copernicum laudabile eſt,
Quod extra ſpirat hæreſin?
An quia motus regularis à Medio?
Hinc ergo *Cor*
Per Diaſtolem opes colligit,
Per Syſtolem diſtribuit;
Per illam diteſcit,
Per hanc exinanitur;
Per illam ſanguinem recipit,
Per hanc communicat;
Quieſcit, cum movetur
Motus ἀδύνατος
Mutat locum, non amittit:
Ita ad leges *Primi mobilis*;

Quod utpotè ſphæricum locum a
mittere nequit;
Quo moto movetur Humanum
ſyſtema;
Huic ſoli quidem impera,
quieſcent cætera;
imò peribunt,
Quia noxia hæc eſt quies;
ſiquidem *Cor*
Eſt Primum vivens, ultimum moriens.
Jam ô! Geometra
Adapta Menſuram,
Magnum hic latet ſub *Parvo* Quan-
tum,
Ingens nempe Virtus ſub parva mole,
Quia unita *fortior*.
Capacius eſt, quò anguſtius;
Parvitas, quæ membris quandoque
obeſt,
Huic prodeſt.
Proh quanta *Cordis* amplitudo!
Defi-

Deficiet laudatiſſimum in metiendo
ſine mentiendo principium;
Pars hîc major eſt ſuo toto,
Exilis Hominis portio,
Toto Homine grandior.
Admittit omnia,
Nec impletur,
Poſt omnes theſauros adhuc ava-
rum;
Poſt omnes delicias adhuc avidū;
Poſt omnium bonorum copiam
adhuc egenum,
Poſt omnem plenitudinem vacu-
um.
Quadraturam Circuli
Quam alibi fruſtraneè tentâſti,
hic invenis;
Inventum Archimedeo dignum tri-
pudio!
Quadratum Geometricum
Regulariter in trangula duo
Rectan-

Rectangula Isoscelia
dividitur:
Cor è simili triangulo in Circulum
ex duplo circuli in Quadratum
perfectè transit.
Cordi ergo debemus, quod olim In-
tellectui.
Acutior verò Aristotele Philosophus:
Vitam (quis credat) in igne Cordis re-
perit.
An ergo non verus ignis?
Qui fornax est primigenii caloris,
focus centricus,
Clibanus flammæ vitalis
In obscuro corporis ergastulo
Irradiat omnia; non illuminat.
Amabile miraculum!
Vitam fovet ignis, quàm consumit a-
libi;
Humore fugatur alibi, hic alitur;
Vescitur alienis, abstinet suis,

Ut

Ut alienis det ſe & ſua.
Ab hoc igne copioſus adeps non abſumitur,
Imò nec liqueſcit;
Quia nimirum huic igni frigus
novâ Symbolizatione amicum eſt;
Lymphaticum certè prudenti delirio
Cor
humore lymphatico
à pericardio disgregatur;
Lympha & ignis
Extra Cor perpetuas fovent inimicitias;
In corde ſingularem ſpirant amicitiam.
Theologus denique
In hunc Divinarum Gratiarum Oceanum
Sine naufragii periculo ſe immergit;
Et

Et quid Theologus,
DEUS ipſe adeò Amore Cordis ardeſcit,
ut illud *Sibi præberi* exambiat.
O! miraculum ſupra naturam!
Petit Cor Hominis DEUS, qui illud condidit,
Rem ſuam petit quaſi alienam,
Donari rogat debitum
quod jure exigat.
Scilicet
Emancipavit Cor Hominis DEUS,
Dum Hominem liberum reddit,
Et capacem ſui fecit quantulamcunq;
portionem Hominis.
An verò Hoſpitium DEUS non impleat
quod ſibi extruxit?
Recuſétne Homo, cui deſideratisſimus impresſit ſui deſiderium?

Hinc

Hinc
Ut ad *Primum Mobile* revertamur
& in eo finiamus;
Cor eousque agitatur inquietum
Quousque repleatur eo
Qui ſolus hoſpitium hoc replere poteſt.
Merſus fuiſſet
In hoc Oceano D. Auguſtinus,
Dum Myſterium SSS. Trinitatis
ſcrutaretur intellectu,
prætergreſſus naturam,
Ab Angelo didicit errorem;
Niſi clauſiſſet ingenium;
Aperuit ergo in vicem Cor,
Et, quem totus non capit Orbis,
Totum excepit
DEUM.



VII.

PULMONES.

Regia Ventorum.

Spiritus unde veniat, aut quo vadat.
Quidvè faciat Ventis pondus?
Ignorare voluit *Sapientia.*
Quaſi verò neſciret *antrum* iſtud *Thoracis oſſei*
in Homine
Genuinam eſſe *Ventorum Regiam*;
Pulmonum inquam receptaculum.
In Microcoſmo igitur origo Spiritû
à duobus in una carne follibus eſt.
Cum hoc novo Miraculo;
Quod fornacem cordis afflando refrigerant,
non accendunt.
Et exſpirando fumos reſorbeant
quos fecerint.

O! pu

O! pulchrum *Cordis flabellum*
& *Ventilabrum Pulmo!*
Languenti ab Amore Cordi tu Vita
es,
tu ſolatium.
Tu, Avicennæ, *Cordis* es *culcitra.*
At quomodo Ignis in Vento tutè
quieſcit?
Tu *Cordis arca*; & ecce!
Hinc ille perpetuus tremor, an timor?
Pulmonum;
Timentium ſibi auferri theſaurum
ſuum.
O! ſollicite Alumne cordis!
Pellicano amantior!
Hic ſi proprio ſanguine; tu carne ſub-
ſtituis,
Quidquid domeſtico alimento
defuerit
pro *lampade Vitæ.*
Hoc verò libenter ignoro, quod dicā.

 Quis

Quis *faciat* Pulmoni *pondus*, quis de-
mat?
Gravitat ille, & premit diaphragma;
Levitat idem, quando Cor non op-
primit.
Mollis cum ſit, dureſcit;
Et durus ita eſt, ut molleſcat;
Diſſimilis idem ſibi, & ſimilis.
In hoc laudabilis;
Quod ingreſſu arteriæ aſperæ, non
exaſperetur;
In hoc fortis;
Quod nervis alligatus, motu tamen
perpetuo agitetur.
Et hic ſilete Curioſi,
Poſtquam motum perpetuum inve-
nimus,
quem riſiſtis.
Ex quo ſolvite, quò abeat Ventus;
Abit enim ut redeat.
Semper novus, & nunquam.
Ita *Nihil ſub Sole Novum!* VIII.

VIII.

VENTRICULUS.

Vulcania Jovis.

Ingenioſa etiam extra ingenium Natura eſt,
Artium alibi Magiſtra ſolùm,
In *Microcoſmo* ſimul rerum *Creatrix*,
Eſcarum *Condîtrix*,
Membrorum formatrix,
In chaotico *Ventriculo*.
Quæ hic Elementorum pugna?
Frigida miſcentur calidis, humentia ſiccis,
Cui tamen *bello Salus* debetur *omnis*;
Profuſus hic ſanguis
Vitam advehit, non avehit:
Ignis absque flamma,
Aqua ſine frigore,
Fumi oculis innoxii,
Gratiſſimus Cerebro Morpheus.

Quot in hac fornace bullæ:
Tot Intellectui cuduntur acumina,
Voluntati amoris jacula,
Memoriæ tabellæ,
Linguæ fulmina,
Reliquis membris nectareæ dapes,
Dulcissima lactis & sanguinis Ambrosia.
Accipit ut tribuat,
Alitur ut alat,
Laborat ut reficiat.
Qui nisi ita *laboret*, miserè laborat,
Et *laborantibus* ineptè cum eo reliquis
De fabricæ humanæ structura
actum agitur.
Cyclops iste fabriles *sudores* non tergit
Viperinos partus non abhorret,
Vulnera non metuit
Pius in membra Pellicanus.
Manè (prius) *rapit prædam*,
Vesperè (posterius) *dividit escas*,
An-

Ancillantibus illi
protenſis Inteſtinorum gyris,
& meſentericis, atque thoracicis la-
cteis.
Deſudat ille indefeſſus,
Ut exindè
Sudorem agnoſcas in Vultu,
Sine quo aliter Homini
Pane veſci non licet.
Huic
Vos membra cætera
Mutuam debetis *operam*,
A quo habetis,
Quam vivitis
Vitam.

IX.
HEPAR.
Ignis Subterraneus.
Si rerum omnium principium non
eſt Ignis,

Vitæ ſaltem eſt,
Utpotè primum vivens, & ſpiritus vitalis.
Quod anima corpori; hoc Terræ Ignis;
Ut meritò hanc *Ollam* dixeris *accenſam*;
Quæ in ſe humores omnes digerat, atque conſummat.
Niſi fallor,
Hepar in Microcoſmo ſimile quid eſt;
Primum vivens aliquibus dictum:
Quia nemo dat, quod non præhabet.
Vita eſt Hepar
mori inſcia.
Nam Plinio, Jecur eſt maximæ vetuſtatis,
tu dic immortalitatis.
Primum ejus commodum ſentit ſtomachus
ſentina illa ciborum,

Cu

Cui Hepar vel pro coquina eſt, vel
pro igne
ut lebeti.
Microcoſmo quantum quidem proficit;
Tantum, ſi iraſcatur, officit.
Blandum ſimul, & terribile.
Utile idem, dum per ductum Cholidochum ejicit
quidquid excrementitiæ bilis eſt;
Inutile, ſi retinet.
Immotum ipſum pendet
à diaphragmate mobili, quod non
gravat;
Et quod mireris;
Ab Hepate etiam promovetur hodiè
ſanguinis circulatio.
Dic proindè Intelligentiam,
quæ Immota movet,
aut DEUM quendam;
Qui eſt primum Immobile, movens
omnia.

Et

Et ô! rectè Vulcanus Veneris ſponſus
& Pater Cupidinis dici poſſet.
Hepar enim blanditiarum fomes
&omnis amoris principium eſt,
juxta illud:
Gaudet amare Jecur.
Et quia omnis *amans* propè *amens* eſt;
Hinc adnexam habet fellis ve-
ſiculam
furoris amantium Incentivam.
In hanc
Quâ arte bilioſus transcoletur ſan-
guis,
Hærent Philoſophi, cæcutiunt Me-
dici,
ſtupet profanum Vulgus.
Nec mirum;
Cæcus enim eſt Amor, cæca ejusdem
ſedes;
Inexplorata hîc omnia.

Nam

Nam si destillatione fit; ubi vestigium?
Si præcipitatione; ubi acidum?
Si suctione; ubi artis, vel Naturæ medium?
Dicerem
Quod per arterias cysticas, & poros vesicæ felleæ
Sanguis delatus in bilem abeat,
Eô, quo vinum aceto superfusum modo.
Sed quia *Anima omnis in Sanguine est*,
ergo Mors omnis in felle est;
Amando quippè animamur, odiendo morimur)
Et quæ societas vitæ ad Mortem?
Quæq; ad invicem commixtio, aut conversio?
Et tamen tanti inimici tam proximi sunt amici,

Ut exiguâ tantum tunica dividantu
Neque hoc solum est quod mireris
Ut enim mediante igne subterraneo
Mineralium aquarum sapor dulco-
ratur,
Sic in Hepate seperatâ bilis amaritu-
dine
Sanguis ad vitæ alimoniam dulce-
scit.
Desineret in Microcosmo esse Cœ-
lum;
Si isthinc Nectar & Ambrosia non
proveniret.
Dicite Ethici;
Materne, an Nutrix plus conferat
proli?
Et si hæc alterâ, concludite;
Hepar esse *Nutricem Hominis indefessam*
Atque adeò
Parenti in amore, & cultu præferen-
dam.

X. LI

X.

LIEN.

Infernus Parvi Mundi.

Lien
Bilis atræ, velut *Plutonis Regia*,
Tristissimarum cogitationum
Parens,
Phantasmatum horridorum
Erebus,
Doloris, ac Mœroris *Cocytus*,
Obliviosa lætitiæ *Læthe*,
Pœnosus *Acheron*:
Idem tamen, quod stupeas,
Charitum gratiosum domicilium,
florentium risuum Majus,
Lætitiæ, & hilaritatis *Campus* quidam
Elysius,
Non immeritò cuipiam fabulosus,
Qui simul verus Microcosmi *Infernus*
videatur.

Vorax eſt Infernus, nec minus Lien
Quo pingueſcente corpus macreſc
teſte Hippocrate.
Et quia ex *Inferno nulla eſt redemptio*;
Qui ſemel in barathrum hypochon
driacæ Paſſionis inciderit,
Nullâ quaſi potentiâ eum eripueris.
O! abyſſus, ô! chaos.
Ex eadem confuſione naſcitur riſu
& dolor,
Dum *ſplen ridere* facit.
Dicite Ingenia;
Si rectè idem homo *riſibilis* ſimul,
& *flebilis* definiatur.
Quia verò Lien ſine vitæ periculo ex
ſcindi valet,
aſſero,
Riſibilitatem eſſe accidens,
non proprietatem.
Ringamini Dialectici!

Certè

Certè si Infernus non est de essentia
Magni Mundi;
Nescio, cur sit Lien ut principium
Risus & Luctûs.
Nec scio cur *Sapiens* esse melius
doceat
intrare in Domum *Luctûs*,
quam Risûs;
Quando eadem utrumque inseparabiliter capit.
Cura dicat ipse de se, qui linguæ figuram refert;
Gravem tamen ne dicito
hunc Infernum,
Quando etsi *renem* premat, non opprimit;
Levis est, & amabilis;
Postquam innumeras arterias â ramo
Cæliaco,
Quasi totidem â *Cælo* influxus recipit.

Uno

Uno ostio plurimi in *stygem*,
Paucis etiam venis abundans in Lie
nem
nutrimentum cadit.
Et rueret sanè Infernus tot discord
um populorum,
rerumque affluxu;
Nisi totius Terræ ambitu pressus te
neretur;
Nam etiam Lien
Tunicâ crassa, & firmâ admodum
immersus est,
Ne scilicet
contrariarum particularum ingred
entium contactu dissolveretur.
Adeò neque si *Sathanas in se ipso div
sus sit*,
Stare potest *Regnum ejus*.



XI. RENE

XI.

RENES & VESICA.

Naturæ Separatorium.

Cardiognoſtes DEVS
Eâdem excellentiæ prærogativâ,
uâ *Cordium* ſibi reſervavit ſcrutatio-
nem,
complexus eſt & *Renes*:
crutans corda, & Renes DEVS: probans
Renes & corda.
Miraris hæc Admirator?
xperire Utriusq; Indolem, & com-
bina.
Utrobique ſedem fixit Amor;
In *Corde Individui*,
In *Renibus ſpeciei.*
Hinc prodeunt cogitationes, & curæ
domeſticæ;
Ex Renibus amor & cura Univerſi.

Quod

Quod Cor avarum congregavit, di
ſipant Renes;
Et quia *melius eſt dare, quam accipere*,
Illud ad ſe omnia trahit; hi dant.
Illius ingluviem mille Mundi non ſa
turant;
A Renum fœcunditate impletur
Orbis.
Quare ſi amor boni communis ante
ſtat Phi lautiæ;
Habent aliquid Renes, quo Cor exſu
perent.
Niſi mavis Cor eſſe *Solem*, & Renes
Lunam
in hoc Microcoſmo,
Reperies quod admireris;
Figura Renum ſemilunaris eſt; & cu
non *plena*?
Sed ſi utrumque conjunxeris,
Plenam obſervabis.

Sicu

Sicut & illud deprehendes,
Lunam hanc non minus Generationis auctricem,
& Dominam esse, veramque *Lucinam*,
quæ de tenebris educat victuros in lucem.
Ita *Cor*, & *Renes*
sunt
Frater, & Soror,
Duo luminaria prima
Diei, & *Noctis*
principes.
Sanè *Dies* curis, *Nox* Amoribus
sacra est!
Habet tamen & hæc *Luna* quoque
Lumen suum,
Suas ignium, & caloris officinas.
In *Corde* vita cuique sua decoquitur;
In *Renibus* aliena.

Penè infructuoſus evaſerat ſuo Mundo
hic *Planeta*;
Niſi quod inibi ſeroſa portio ſanguinis
probetur in igne.
Miraculum omne Chymicæ artis hic repereris.
Utrobique purum ab impuro ſecernitur.
Hîc quidem,
ubi Renum artifex Natura,
vigili oculo Argo oculatior;
Imò tot oculis, quot cellulis & papillis
ſerum deſtillans obſervat,
Ne cum inutili ſorde pars ſincera, & utilis
nutrimento excernatur.
Ita felicior eſt Microcoſmus Macrocoſmo!

nam

nam iſte in ſordibus nunquam re-
purgatis
velut in Augiæ ſtabulo
ad aures volutatur.
Accedit altera mira felicitas;
Quod ſeparatum in Renibus ſerum,
congregetur in Veſica;
Undè agmine facto ſimul ejiciatur.
Ne tamen id contingat ex impetu:
Appoſuit extremis Natura foribus vi-
gilem Muſculum,
qui exituris pro libitu aperiat fæcibꝰ:
Ita demum puritas, & integritas Mi-
crocoſmi
Uni Renum, & Veſicæ induſtriæ
debetur.

XII.

UTERUS.

Alma Tellus.

Magne Alexander

 pone

pone lacrymas:

Uno plures *Magno Mundo* non dantur

qui

Immortali ſterilitate damnatus

ſimilem ſibi parturire neſcit.

Magnus ergo *Magnum* quid ni capias

Imò Magnus non eſt, qui ſolus eſt;

quia nemo ſolus beatus,

Væ Soli!

At non ſic Microcoſmus!

Magnus idcircò vocandus, non *parvus*

qui parva neſcit gignere

ſed Magna; id eſt ſeipſum.

Plora nunc Alexander *parve*,

Infiniti ex uno Mundi ſunt,

quos nunquam cæperis;

ut qui ſe ipſos non capiunt.

Nam qui potuit concipere DEUM,

quomodo à ſe, vel à te capiatur?

Concipitur tamen *Mundus* in *Mundo*

Imò innumeri ex uno,

O! pre-

O! pretiosam, Illustrem, & amabilem
Hominis generationem!
Sed quomodo pretiosa, si inter stercus & urinam concipimur,
generamur in sordibus.
Et si in tenebris confovemur,
quomodo Illustris?
quomodo amabilis?
Ubi in doloribus parturimur,
Mortui prius, quam viventes,
Parricidæ, quam filii,
Genimina viperarum,
Prius docti vulnerare materna viscera,
quam fovere sua,
Prius carnifices, quam Homines;
A dolore vitam,
Imò Mortem auspicamur à Vita:
Ante plorare coacti; quam ridere,
Hem! vanè dicti Naturâ risibiles!

Pretiosa tamen est generatio Hominis
quia *Animalis Di-vini*,
Et operum divinorum periochæ
Illustris; quia *Lumen de Lumine*,
utpotè Lucis increatæ imago,
& particula Divinitatis.
Quis verò te non amet ô! decus Universi,
Pulchrum *Pulcherrimi* Ecypon,
Similitudinem ipsius Pulchritudinis,
& amabilissimæ varietatis *Paradysum*.
Sed heu! male Paradysum dixi!
quia malum bono,
spiritum corpori,
æternum corruptibili,
cœlesti terrenum,
Luci tenebras,
Vitam Morti,
Infando vinculo
permixtam dixi.
fallor!

Non moritur Homo, dum sibi simi-
lem seminat,
& metit
De corruptione incorruptionem,
De Morte Vitam,
De tempore æternitatem.
O! ergo felix permixtio!
Ager iste tam fœcundus, *Uterus* est.
Cessa imprudens cum Pyrrha Deu-
calion
venenatos Draconis dentes,
aut tu Cadme insulsos lapides
huic agro committere.
Tener est & humanus.
In quem semen utriusque sexûs pro-
lificum
vel conjicitur, vel attrahitur.
Adsunt huic operi *Testes bini*,
Sivè qui Terram hanc sub jugo pro-
scindant,

Sivè *teſtentur* legitimè, fæminam etſi
bonam,
Natum tamen eſſe *Malum neceſſarium*.
Inſtrumenta hæc porrò genitalia
carent vaſis deferentibus,
ut ſuppleant nervuli tendentes per
transverſum
in tubos Fallopianos.
Nervos habent:
Ut confluxu ſpirituum animalium a-
nimentur
jucundâ titillatione ad laborem.
Nec deſunt alii à lumbis, & oſſe ſacro
cum ramulis ſexti paris nervorum
cerebralium:
Ne ſcilicet ſolertiſſimum omnium o-
pus
Præter Renum, & Cordis concur-
ſum
fieret *ſine cerebro*.

Hinc posteà *Vulva* sese aperit, quasi *Valva*;

& cum hac insignis illa officina

In qua mirâ & ineffabili arte

Microcosmus concipitur, fovetur, & generatur.

In hujus apice *Clythoris* residet

Oestrum illud veneris, & amoris dulcedo,

quam *Nymphæ*, & *Carunculæ* comitantur;

Ne deessent sive *Lucinæ*, sivè obstetrices;

quæ laboranti in partu Matri

dulcedine solatii delerent timorem.

Stabilitur amplius

ligamentis quatuor Uterus,

Ne illius sequatur procidentia:

ut verum sit

quod omnium, tam artis, quàm naturæ operum

fundamenta *quadrata* ſint.
Sanè beatitudinis ſedes in *quadro* poſi-
ta eſt,
quaternis virtutum columnis in-
ædificata;
& quatuor cauſarum generibus,
velut Atlante
Manibus, pedibusque binis obnixo
Univerſa Mundi Moles ſubſiſtit.
At nunc ad geſtationis miracula con-
vertimini;
Extenditur Uterus, nec tenuatur;
Calcitrat fœtus, nec lædit;
Immergitur colliquamento, nec ſub-
mergitur;
Fœces colligit, nec læditur;
Urinam ſibi mingit, nec excoriatur.
Miſerandus Homo, ſimul & miran-
dus;
Felix ſimul, & infelix;
Pulcher & deformis.

Vis

Vis ſcire, quid ſentiam?
Verbo dicam:
Homo eſt pulcherrimum Naturæ monſtrum.

XIII.

EXTERNÆ CORPORIS HUMANI PARTES.

Microcoſmus Viſibilis.
Apage!
qui primos Homines olerum more productos
cum Euripide & Archelao hallucinaris;
aut à ſerpentum dentibus progerminatos
figmento Poëtico comminiſceris.

Æter-

Æternus Plastes

Fecit hominem ad imaginem & similitudinem suam.

Creavit eum

Visibilis naturæ spectatorem,

Intellectualis Mystem,

Regni terreni Regem;

Quid terreni?

Si Sapiens dominatur & astris,

A solis Angelis paulò minoratus;

Cui

impressus sit à Divina idæa character, quem contremiscant & pavescant omnia.

Sed spectator qui est,

Visibili etiam partium externarum concinnitate

Spectandus exhibetur,

Disputandus traditur.

Rimare numerum:

Et

Et nunquid advertes, quæ bina sunt in
extremis,
solitaria in medio collocata?
Appende pondus;
Et experieris totum Hominem ita
ἰσοῤῥόπον
ut nihil redundet, nihil prægravet:
Animantes cæteræ pronæ in terram
inclinantur,
Arbores & plantas suopte pondere
ruituras
adnatæ terris radices fulciunt:
Solum Hominem erectum,
Partes omnes æquilibratæ
dissimâ in centrum gravitatis con-
spiratione
à lapsu præservant immunem.
Examina mensuram:
Et proportionem ubiq; videbis Geo-
metricam;
A cen-

A centro pubis
per extrema pedum, manuum, & ca
pitis
perfecta circuli peripheria ducitur;
Expansæ manus & pedes cum capit
Pentagonum constituunt æquilate
rum.
Dimidium staturæ pubes;
Tertia pars præcordia;
Quarta cubitus;
Quinta Lacertus;
Sexta collum â capitis vertice;
Septima truncus cubiti;
Octava caput;
Nona cervix;
Decima manus.
Contemplare novum Mundi sy-
stema:
ubi
Caput in Arcticum porrigitur;
Pedes in Antarcticum excurrunt;

Læva manus ortum, dextera occa-
ſum ſignat.
Primum mobile
Sanguis diurnâ pericycloſi circum-
actus;
Luminaria magna, Oculi;
Montium curvatura, campago oſſi-
um;
Venæ, arteriæ, nervi, & capilli,
Gratioſa truteſcentium ſylvarum Sce-
nographia,
Interfluentes rivi, Vaſa Lymphatica;
Promontoria, & magnæ continentes
Pedes, manus, & caput;
Zonæ frigidæ ob nativam humidita-
tem
in vertice & plantis;
Clima torridum ob æſtum cordis in
pectore;
Zonæ temperatæ in manibus
Admirandorum operum effectrici-
bus;
Ele-

Elementa
Quatuor humores,
Variis Symbolismis invicem ſe am-
plectentia,
Diſſymbolismis fugientia;
Eclipſes,
Per ſymptomata, & deliquia;
Terræ motus,
Per tremulas febrium concuſſiones;
Fulmina,
Per ſubitos paroxysmorum furores
innoteſcunt.
Quid pluribus?
Plato Hominem Divinum miracu-
lum
ſuſpexit.
Ariſtoteles finem rerum omnium
agnovit.
Divina Veritas
Omnem in Homine creaturam eſſe
pronunciavit.

FINIS.

